

Dissertatio medica inauguralis de arthritidis natura et prophylaxi ... / [Robert Stewart].

Contributors

Stewart, Robert, active 1771-1803.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie, 1771.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/azqw764d>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

49826 | P

D I S S E R T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S
D E
A R T H R I T I D I S N A T U R A E T
P R O P H Y L A X I .

Q U A M ,
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P R æ F E C T I ;
N E C N O N
Amplissimi S E N A T U S A C A D E M I C I consensu ,
Et nobilissimæ F A C U L T A T I S M E D I C Æ Decreto ,
P R O G R A D U D O C T O R I S ,
S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;
E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t
R O B E R T U S S T E W A R T
B R I T A N N U S .

P h y s . - M e d . S o c . E d i n . S o d . H o n .

A d d i e m 12 S e p t e m b r i s , h o r a l o c o q u e f o l i t i s .

F o r my part, when I behold a fashionable Table, set out in all its Magnificence, I fancy that I see Gouts, &c. lying in Ambuscade among the Dishes. ADDISON.

E D I N B U R G I :
A p u d B A L F O U R , A U L D , e t S M E L L I E ,
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .
M , D C C , L X X I .

*Ma a tali sensuali nemici della ragione, et amici del
senso, sta bene, se mentre procurano di satiare ogni lor
gusto et appetito, incorrono in travagliose infermita,
et bene spesso avanti tempo s'incontrano nella morte.*

CORNARO.

316869

JOANNI GREGORIO, M. D.

Viro

Artis propriae Peritia atque Literis ornato,

Ob Morum Suavitatem dilecto,

Ob Probitatem honorato,

Has Studiorum Primitias qualescunque,

Cum propter Praecepta et Consilia,

Tum propter Amicitiam

Qua se dignatus est,

Grati animi Testimonium

Voluit

A U C T O R.

To Dr John Legerwood
from his friend & humorist
the Author

DISSERTATIO MEDICA

I N A U G U R A L I S,

D E

ARTHRITIDIS NATURA ET PROPHYLAXI.

UNICUIQUE naturam quam levissime perlustranti, constabit Omnipotentis Conditoris justitia summa ac aequalitas, mundo in gubernando, felicitateque apud creaturas suas dispertienda ; vel, in verbis Sydenhami, “ Quam parum iniqua sit omnium parens ac arbitra, quam partibus non studeat ; cum eos, quibus alicubi deficit, alio aliquo bonorum genere cumulatius ditare soleat ; profusiores vero erga alios munificentiam aqua malorum parte admista, diluat et contemperet ; adeo ut ubique gentium rata sit lex et inviolabilis, nullum hominem vel ex omni parte beatum, vel per omnia miserum

A

ac

ac calamitosum posse inveniri; singulos autem utramque experiri fortem; quae boni atque mali contemperatio fragilitati nostrae et mortalitati ita propriae, nobis fortasse apprime conducit." Hoc modo alii parce atque dūriter vivunt, sanitate tamen fruuntur optima; alii quidem affluunt divitiis, et morbis discruciantur dirissimis; inter quos locum non forfitan secundum sibi arrogat arthritis. Quis enim nescire potest, arthritidem, (de cuius natura et prophylaxi, pauca jam proponenda sunt, ut, legibus hujus Almae Academiae obsecundando, nobis exsolvatur officium), morbum esse apud divites in luxum atque voluptatem immersos omnino graffantem; quinetiam ejus natura atque sanatione adeo admodum difficilis est, ut apud medicos quasi medicinam aegre admittens semper spectaretur. Quid igitur penes nos est? Certe haud multum; sed verbis utamur Horatii:

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra;
Virtus est vitium fugere; et sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Si denique frustra fuerit propositum, Praeceptores meos honoratissimos, quibus nunc gratias

gratias ex ^animo debitas ago, et quos ob beneficia tam insigniter in me collata in memoria usque habebo, mihi veniam datus, spero, quippe quod vires nostrae ad rem adeo arduam omnino ineptae sunt.

HISTORIAM morbi et diagnosin in hujusmodi dissertationibus primo tradere, in consuetudinem venit; hoc vero limites minime sinunt, et fat esto, Sydenhamum, Musgravium, aliosque, praecipue vero Bostock, in tentamine medico inaugurali de Arthritide, Edinburgi 1769, hanc illamque fusius tractasse: Nobis tantum in animo est,

I. CAUSAM proximam investigare.

1. MATERIEM morbidam refellere.

2. DOCTRINAM aliam stabilire.

a CAUSIS arthritidis occasionalibus.

b SYMPTOMATIS arthriticis.

II. DIFFICULTATES unam vel alteram praecipuas removere.

III. INDICATIONES ex causa proxima subortas prophylacticas proponere.

I. CULLENUS noster celeberrimus, qui de medicis, philosophis, et omnibus, tam bene
meretur,

meretur, et cui et Gregorio nunquam nimis carius habendo, quam plurima de re medica lubentissime accepta referimus, arthritidis definitionem in medium protulit sequentem.

“ * MORBUS *est* sine causa externa evidente, sed praeeunte plerumque ventriculi affectione insolita; pyrexia; dolor ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis potissimum infestus; per intervalla revertens, et saepe cum ventriculi et internarum partium affectionibus alternans.”

IN ordine phlegmasiarum classis pyrexiae, arthritis stat genus; quam recte haud faciam, ut dicam; hoc postea forsitan apparebit; et nolumus sane, si etiam adeffent vires, nosologicorum definitiones carpere, non nescius, quanta cum iustitia omnes, qui nosologiae methodicae difficultates norunt, nobis objiciant recriminando, “ carpere vel noli, nostra vel ede tua;” utcunque non nostrum est non animadvertere, Sauvagesium, Linnaeum, et Vogelium, arthritidi, uti phlegmasiae, locum prorsus recusare, et si symptomata hujuscce omnia in arthritide inflammatoria, de qua definitiones

* Cullen. Synopsis Nofol. Method. p. 265.

definitiones eorum solummodo trahuntur,
nunquam non adfunt.

OMNIBUS fere notum est, quam maxime
materiae morbidae opinio generalis in Euro-
pa valuit. Omnes quasi morbos ex hac pen-
dere medici existimabant; qui tamen in No-
stra Academia florente medicinae studio ali-
quamdiu inhaeserunt, illos theoriam hanc
semper admittere, nequaquam verisimile est.
Pathologia apud nos diversam omnino in-
duit larvam, morbosque quam plurimos ex
aliis, quam lentore, tenuitate, vel acrimonia
cujuscunque generis, causis oriri didicimus;
quae autem doctrina Europam pervadere mi-
nime videtur. Pathologiam enim humoralem,
medici non pauci manibus pedibusque adhuc
amplectuntur. Mirum! quod in hypothesin
tam saepe vagam ruerent doctissimi praecipi-
tes. Hic etiam, ut condiscipulos meos con-
gratularemur, animus me fert. Pro nobis
ipfis semper cogitemus; nec cujusvis opinioni
prius suffragemur volentes, quam eandem
perscrutatam, ex veritate, absit auctoritas,
pendere comprobaverimus: Sic pergit et va-
lete!

SED

SED ad rem: Opinio apud medicos nulla fuit pervulgatior, quam quae arthritidem ex ~~quam~~^{dam} materia morbifica in systemate producta, et exinde phaenomena excitante, connaisci ponit. Unica tantum exceptio cuius reminiscor, apud Stahlum ~~Hannover~~ invenienda sit. * Stahlius etenim totius systematis morbum ex motuum statu, et ne ex materia quacunque ortam, arthritidem constituit.

Hic fortasse haud alienum fit de morbis fluidorum in genere proferre aliquid, ut magis eluceat nostra ratiocinatio.

MORBI humorum in duos classes a Gaubio disperiuntur, viz. 1. Morbos cohaerentiae in humoribus. 2. Morbos humorum relativos, ut humores corporis humani, vel in seipsis seorsim, vel comparate ad partes firmas, quibus continentur, spectari possunt. Ad nostrum institutum solum dicenda requiruntur pauca de classe Gaubii prima, morbis cohaerentiae in humoribus, qui causa arthritidis diversimode statuebantur, ut spissitudinem vel lentorem, et tenuitatem ex aqua vel acritate provenientem, aspiciunt.

PRIMO,

* Stahl. Theor. medic. vera, art. 3. de doloribus spasticis arthritico-podagricis.

PRIMO, observandum venit, de morbis fluidorum vix quicquid bene intelligi; chemiam, quae ad fermentationem et mixturam illorum spectat, nos adhuc admodum latere fatendum est; et Gaubius quandam doctrinam chemicam admittit quam haud intelligo. Ut cunque, parum est momenti medicorum ignorantia; nam quamquam fluida morbosa interdum fieri, ne quidem denegare possimus, eo usque tamen ut morbi frequentiores producantur, haud concedimus; et cum Gaubio facile consentitur, si, pro "nisi laefis demum solidis," dixerit, "nisi laefis viribus motricibus, in morbum erumpunt fluidorum affectus." Quicunque fluida toties peccasse, quoties solida putat, hallucinatur saepissime, in errorem seductus rebus fallacissimis; potissimumque si judicium deducatur ab ingestorum vel egestorum facie, quae vix ullum, ex quo aequa decernere possumus, signum praebet; ingesta enim diffunduntur, mutantur, et ejiciuntur; et fluida secreta per organa secretoria producuntur, nec forte in sanguine ipso existebant. Praeterquam cognitum est, causas fibras motrices glandularum afficientes, illa quae secernuntur variare. Hinc difficile est

est dictu effectum adeffe, quoniam causa aderat.

SANGUIS ex tribus partibus constat, fero nempe, lympha coagulabili, et globulis rubris, quae inter se diffunduntur, habentque suum a natura constitutum modum, a quo si deflectunt, morbus imminet. Sero fluiditas, lymphae consistentia, debetur ; exinde cohaerentiae inter particulas humorum, prout magis abundat lympha, vel serum, duo dantur vitia, excessus ac defectus. Hic tenuitas, ille spissitudo seu lensor, dicitur ; de quibus pauca in ordine.

LOQUITUR primo Gaubius de spissitudine, quam in tria genera dividit. Primum ponit defectum aquae, vel ex paucitate magis fluidi humoris, praे minus fluido, pendet. Jam nos accingamus, causas, quas censet tale efficere, ad examen revocare. Ecce verba illius : “ Potus parcior, excretiones lymphaticae, i. e. *serosae*, auctiores, dissipatio humidi per motum, calorem, &c, absorptio aut restagnatio ejusdem a crassamento separati, id malum producunt.” Vix denegandum est, haec posse spissitudinem proferre ; expendamus verum, quo usque valeant. Fluoris conditio mutationes

per-

perpetim patitur, haud tamen morbidae censendae sunt; nam, ex quantitate fluidorum deglutita, uberius vel parcus fiunt secretiones; quapropter quae continent vasa eundem conservant statum. Itidem, si detur fluidorum conditio, aquosorum abstractio quidquam valere videatur; attamen, nonne inveniamus, oeconomiam humani corporis ita in aequipondo poni, ut una secretio minime augeri possit, nisi altera imminuatur; perspiratione, v. g. uberiore existente, urinae copia halitusque pulmonalis minuantur, et mutuam inter se praefstant vicem excretiones ferosae. Singularem itaque adesse constitutionem oportet, scilicet omnes secretiones quae fluidissima e corpore asportant adaugeri, antequam spissitudinemorbosa inducatur. Motus calorique, procul dubio, aquosa dissipant; veruntamen, nonne inter se conjunguntur variae fluidorum partes, lympha coagulabilis, nempe, quae sanguini spissitatem tribuit, cum sero conjugitur, adeo ut vix existimandum sit, aquae portionem praeter naturam abstrahi posse, nisi simul abstrahatur pars lymphae coagulabilis? Porro etiam, si concedatur motum caloremque

tenuissima dissipare, numne valeant spissa reddere tenuiora?

2. GAUBIUS pergit loqui de duobus aliis generibus spissitudinis. Paragr. 283. "Nascitur et iners gluten in humoribus, cum crassamenti pars mucosa ultra modum increvit: Haec aquae amans, hujus quoque abundantem copiam imbibere ac inviscare potest; unde species haec tenacitatis, a priori diversissima, ortum habet ex alimentis glutinosis, coctione debiliore, circuitu humorum languente, intermisso motu animali, frigore, retentis exrementis mucosis."

MUCUM in sanguine adesse, nullum experimentum probat. Et, quia glutinosa affumatur, haud aequum est concludere, in sanguinem pro isthac ratione ire.

3. QUOD attinet ad tertium spissitudinis genus, Paragr. 284. "Crassamentum porro superpondio suae terrae, in qua vis cohaesione maxima, laborare potest, atque hinc tenacitas nasci pessima, sicubi, et aquae defectus, ut fieri afolet, acceperit. Discrepat autem hoc vitium pro vario terrae cum materie salina et oleofa connubio. Acor inhaerens stipticum producit concrementum, quo vel aquosus etiam latex solidescit. Pingui obvoluta terra pi-

ceam

ceam in amurcam abit, quae, resinae in modum, aquam respuens, tenacissime vasis adhaeret aegre abstergenda. Terrestria, dura, sicca, austera, adstringentia, farinosa non fermentata, glutinosa pingua, coagulantia, refrigerantia, stupefacentia, titulo cibi, potus, medicamenti, veneni ingesta, materiem dant, cui si junguntur," &c. Nec amurcam, nec chemiam Gaubii intelligo; et hypotheticas esse probabile est.

ITAQUE lentorem scholae Boerhaavianaem tam famosum incerto fundamento inniti liquet.

ILLUD, quod ad tenuitatem attinet, in duo genera dividit, in aquosam scilicet et salinam, 287. Paragr. " Prima, eaque simplicissima, species aquosa dici potest, cum ortum debeat aquae humores inundanti, qua reliqua principia nimis soluta et diffusa in moleculas justo minores, laxius cohaerentes, tenuantur. Sequitur, abusum aquosorum, maxime calidorum, vitam desidem in aere humido," &c.

AQUOSA tenuitas rarer est certe, quam plerique visum fuit; eaque enim ferme arduum est, aquam in vasis corporis humani sistere, ac imbrex in cribro gerere. Effluit per excretoria tam celeriter quam ingeritur; nec explicanda

canda est haec tenuitas aquosa, nisi omnes excretiones serofae, sicut urina, perspiratio, eodem tempore deficiunt. At, num unquam hoc accidisset? Profecto rarissime accidere potest; alias excretionis imminutae munere fungitur alia adaucta. Vero simile videatur, aquosorum magnam vim hydropem efficere posse e vasibus in corporis cava effluendo: Et hoc raro evenire credo; temulenti enim non semper hydrope corripiuntur; et complures largissime de aquis mineralibus epotant impunes.

ERGO, et si tenuitatem aquosam denegare impossibile sit, nihilominus rarissime occurrenda est.

ALTERA, tenuitatis species certius obtinet; sanguinis circulatio quodammodo facit, ut fluida tenuiora salinaque evadant. Et cognitum est, hanc fluidorum diathesin variis causis majorem reddi posse. Tenuitas salina patescit, ut in scorbuto*, et ex alimentorum et egestorum conditione, quae sale scatent. Ex quo haec tenuitas salina maxime constat, quae filio est, quam forsitan verbis exsequi non possimus.

* Lind on the scurvey.

possimus. Multa de acrimonia fluidorum oleosa, et de salina et terrea, locuti sunt medici: Ex his tamen salina tantum bene cognoscitur; et de hac pauca dicemus, quatenus invaleat. Gaubius hanc rem scite tractavit, notando, acrimoniam externam vix unquam posse morbos creare; quia illius effectibus obfisit natura: "Corpus qua ostiis porisque patens introitum alienis concedit, janitore sensu custoditur, qui ab appulsi acri irritatus motus ciet, quorum efficacia constrictis viis hostilis materies excludatur, aut aliquo usque admissa rejiciatur, saltem diluta ac obtusa utcunque mitescat. Apposite insuper dixit, cibos potuique, quos homini in alimentum destinavit natura, blandos esse, mites, nec eminente quodam acrimoniae gradu pollere."

LINGUA facultate acrida distinguendi potitur; stomachus tantam sensibilitatem habet, ut saepissime talia rejiciat; quum autem in ventriculo maneant, ibi fermentationem patiuntur, quae vel indolem eorum commutet, vel faciat ut cum aliis misceantur et obvolvantur. Cum ad intestina perveniunt, vel eliminantur statim, vel quodammodo diffunduntur, involvuntur, vel neutralia fiunt; et cum fluida

fluida intrant, se ad aquosa adjungunt, et quoddam excretorium stimulant, quo ex syste-
mate ejiciantur.

Ex his itaque collendum est, acrimoniam hactenus in pathologia nimis late dominari; et si ne abnuendum est, acrimoniam invitatis na-
turae conaminibus irrepere interdum, mor-
bosque praebere, ut in variolis, rubeolis, aliis-
que, ex contagione provenientibus; de natu-
ra ejus utcunque nihil scimus; vel de specifi-
cis quibus supereretur; et tantum in potestate
nobis est, febrem temperare.

SED, ut ad propositum revertamur. Ar-
thritidem ex materia morbifica originem du-
cere, per vulgo, ut supra dictum fuit, opina-
bantur medici; praeterquam autem quod ra-
rior est haec causa morborum, et etiam, cum
existit, de ejus natura fanationeque parum om-
nino novimus, quin motuum statum tempe-
rare; in praesenti, contra hanc materiae mor-
bificae opinionem, objections generales ex-
tant sequentes.

I. THEORIA haec fallax et hypothetica est.
Nemo per ullam sanguinis excretionumque
analysin, quatenus scio, talem materiem re-
vera existere, haec hactenus ostendere potuit.

Hanc

Hanc rem ad amissim perscrutari, nequam necesse est. Nam futilem esse ab iis, qui eam amplexi sunt, inter se minime convenientibus, clare constat. Alter mucilaginem, alter vero salinam acidam, alkalinam, neutramve, &c. pro ejusdem causa agnoscit. Sydenhamus calorem putrescentem, et acrimoniam; Boerhaavius denique ipse, liquidi nervos irrigantis acrimoniam, seu lentorem nimium, eam statuere voluit. Hae igitur opiniones diversae atque contrariae e necessario corrunt.

UNA tamen opinio, materiem scilicet esse terrenam, magnopere viguit; et profecto, concretiones articulorum cretaceae, istius veritatem confirmare videntur; ex quibus hypothesis stabilitam esse, probabilius est. Sed, si materia quaedam terrena interdum juxta articulos confundi possit, nequaquam in norbi initio, et saepissime nunquam omnino, accidit. Ne unus quidem inter viginti concretionibus hisce podagrericis forsitan laborat. Quando morbus aliquo tempore duraverit, solummodo tunc adparent; et mali haud causa, ast effectus prorsus, videntur: Ad quod compbandum Stahlius enititur *.

2. Si materia istiusmodi etiam concedatur,

* Stahl. Theor. p. 11. 1711.

tur, eam nequidem phaenomena enodare posse, afferimus. Quo sit ad articulos determinatio? Quoniam exponi possit absorptio tam repentina? Unaquaque oeconomiae analogia animalis, pro tali materiae translatione subita, qualis a pedis pollice ad ventriculum usque obtinet, rationem expromere, omnino inops est. Ex uno pedis digito ad pedis diversi alterum mira velocitate transit, et eodem brevi intervallo ad sedem pristinam denuo se confert. Anne ullum commercium, unde hoc factum exponamus, eosque adparuit? Certe nullum.

3. NEQUE profecto ex materiae morbificae depositione exponi possunt vehementes ii paroxysmi ab animi pathematibus subito exorsi, quae adeo non humores extrorsum cogant, ut vim vitalem quam clarissime minuant.

4. QUIN et arthritis iis ipsis pathematibus faepius subito sanatur, quae, ad horum sententiam, materiem morbificam exteriora versus propellere, ac paroxysmum excitare, magis quam tollere, debent.

AD hanc doctrinam defendendam, omnia argumenta adhuc adducta refellere in promptu est. Sat fit dicere, quod ea in genere errore,

re, ex pathologia humorali defumpto, penitus innituntur, unde dolor omnis, acrimoniae, omnisque tumor lento*rī*, vasa obſtruenti affig-nati sunt.

II. ALTERIUS doctrinae lineas exteriores, quas, ut speramus, facta suffulciunt, et per quas pleraque symptomata explicari possunt, trādere jam properamus. Causam proximam arthritidis, systematis esse atoniam, nobis in voto est hic commonstrare; etiamſi haud in manu fit, argumenta adeo luculenter ut ve-limus tractare, nec omnia, quae objicienda sint, prorsus summovere.

QUANDO quidem phaenomena arthritidis contra materiem morbificam fortius contendunt, tametsi hypothesis ipsa ex talibus ortum suum duxerit; e necessario nunc inquirendum est, num motuum status quidam, arthritidi adeo solennes, quippe qui ab una ad alteram corporis partem maxime remotam transferri possint, ut ex observatione hodierna docemur, ad nodum solvendum sufficient. Prius vero quam ulterius progrediamur, quaedam propoſitiones sunt praemittendae.

I. ARTHRITIS totius systematis morbus est, qui ex constitutione vel temperamento origi-

nem suam penitus assumit, et systema nervosum maxime adoritur.

MORBI vel universales vel locales plus minusve sunt; alii sunt prorsus locales, alii forsitan aequae universales. Apud morbos universales discernimus quatenus sua causae externae in ullo, vel tantum in systemate praedisposito, eisdem excitare queunt; e. g. Rheumatismus pro causa sua habet frigus acceptum, et forsitan cuivis induci potest. Aliter in arthritide res se habet; ejus enim causae in praedispositos solummodo agunt. Alii morbi praecipue et quasi unice systema sanguiferum afficiunt; alii vero sensus motusque organa, parum cum circulatione connexa, aggrediuntur; quo differentia pyrexias inter et neuroses facile patet. Morbi praeterea sunt qui, quamvis systematis nervosi partibus cum sanguifero coniunctis infesti, diu tamen in systemate nervoso prius latent quam in sanguifero sese manifestiores reddant; quo in conspectu ut arthritis lustraretur velimus. Unde sedes sua nosologica inter Pyrexias Neurosesque quodammodo ponenda; ideoque aliquatenus morbus generis nervosi nuncupanda sit; et quamvis arthritis quoad symptomata vehementissi-

ma ad Pyrexias pertinet; sive vero eam in corpore longo pro tempore latere consideremus, praeferimus in ea S. N. parte, qui cum S. S. minus connectitur, absque inflammatione statim ac necessario, vel aliquando nunquam omnino, conflagrante; si denique reputemus, signa inflammatoria, quando re vera ardent, sicuti cordis arteriarumque actionem in febribus auctam, auxilia ab natura, ut aegri salutem recuperent, accensa esse; si haec omnia rite, inquam, notentur, arthritidem in classe, cui nomen est Neuroses, collocare, in proclivi effemus.

ARTHRIDEM morbum esse universalem, ex temperamento originem suam penitus assumere, et S. N. maxime adoriri, antea praefati fumus. Primam propositionis partem, morbum nempe habitus totius vel universalem esse, nemo mea sententia inficias ibit. Liquido enim constat, inter morborum genera, qui primo suo ingressu S. N. partes a sanguiferio penitus alienas adoriantur, eam enumerari debere. Quum vero cor et arterias postea contorserit, tum magis magisque universaliter illico dominatur. Temperamento atamen cuidam debetur, vel corpore praedisposito

posito ut exoriatur, opus est; quibus tandem comprobatis, habitum seu S. N. statum generalem affici, pene ex sequela erit. Compluribus quamquam temperamenta ex conditionibus fluidorum diversis deducere vifum fuit; nobis tamen placuit, has fluidorum conditiones a solidorum statu vel C. H. statinum primitus ingenitorum, nempe S. N. connasci; nam quomodo pro probabili est, fluida tam instabilia et mutabilia temperamentum, quod per vitae cursum permanet, dare posse? Ex sequentibus, arthritidem morbum esse temperamenti, patebit.

1. VIROS ut plurimum invadit, adeo ut e viginti illorum qui ejusdem cruciatibus tormentur, vix una quidem mulier afficitur. Si vero foeminas nonnunquam affigit, stirpe sunt viraginum; quod ad nostram opinionem confirmandam etiam pollet.

2. VITAM ab arthritide immunem degunt eunuchi.

3. INTER viros, arthritis illos constitutione singulari praeditos, validos nempe ac plethoricos, corporis magnitudine pollentes, discruciat; ex quibus, tales huic morbo potissimum exponuntur, quales cutem vix unquam laevem

vem habent. Illud autem temperamentum ex phlegmatico et sanguineo conflatum prae caeteris adoritur; raro integre sanguineum robustum, quamvis et plethoricum, rarius adhuc atrabilare.

4. Qui, dum juvenes essent, phthisin et haemoptoen passi sunt, haud saepe arthritide affliguntur.

5. Qui laute ac otiose vivunt, eos quam maxime vexat.

6. SAPIENTES quam stolidos magis lacefcere, observatur.

7. ANTE vitae decursum perraro apparet.

8. MORBUS est qui ad proles transmittitur.

9. POSTREMO, si meminerimus quam facilis faepissime excitatur arthritidis paroxysmus, morbum ex constitutione haud nunquam praefente pendere, probabitur. Si animus ad jam memorata adjiciendus fit, et si temperamenta ad solida referamus, facillime lucebit arthritidem tanquam temperamenti morbum, morbum esse porro qui in genere nervoso figillatim graffatur; ast hoc exemplo manifestum est, ob arthritidis principiorum nonnullorum naturam, ut,

1. VENERIS nimiae indulgentiae, animi applicationes intensae.

2. EVIDENTIUS idem patefactum primis morbi symptomatis, quae in ventriculo plerumque se monstrant, cuius status S. N. conditio nem quam apprime indicat.

3. NEXUS qui arthritidem inter et animi pathemata est, eandem probat sententiam; tristia, rei inopinatae interventus, &c. paroxysmos excitant arthriticos. In stadio inflammatorio paroxysmus est iracundiae aequa ac doloris.

4. ALIUD adhuc restat argumentum de mutationibus in systemate nervoso; nempe, vertigo, epilepsia, asthma, aliaeque id genus affectiones, arthritide accedente, saepissime furgantur.

HAS omnes ob causas liquet, arthritidem a constitutione vel a principio vitae ineunte fundata, vel multos post annos acquisita, exoriri, morbumque porro S. N. specialiter affligeret.

SED prae his omnibus quae nexus arthritidem inter et genus nervosum, modus quo afficitur stomachus, quia rem lucide et luculentem enucleat, ut in primis consideretur, meretur.

meretur. Ventriculus singulari sensu largaque muscularium fibrarum, quae nunquam fere ab actione desistunt, coacervatione praeditus est; quapropter insigni, cum senforio, idcircoque cum quavisunque generis nervosi, i. e. totius corporis parte, vinculo gaudeat necesse est. De hac sympathia magnopere locuti fuerunt medici, utcunque hujuscem originem varie exposuerunt. Pervulgare fuit equidem ex nervis, vel in cursu suo aliis cum aliis, vel in origine conjunctis, rem ingenere expromere. Jam otium haud datur ut hanc quaestione ad amissim exutiamus; addendum est tantum, quod, cum dixerimus partes S.N. i. e. totius corporis animalis, alias cum aliis pati, cerebro vel senforio interposito, simplicior et verisimilior fit hujus rei enodatio. S. N. ubique ex eadem materia constat medullari, et continua est. Per hanc continuationem, compluribus enim probatur experimentis, motus ab una in alteram corporis quam maxime dissitam partem, facilime propagantur. Quisquis nervus cum origine sua connectitur. Nervi in cerebrum cerebrumque in nervos vicissim agunt. Quo ex commercio evenit, ut motus, in partibus nervorum quorundam extremitatis

tremis concitati, inque cerebrum delati, ibi
alios excitent motus qui versus nervorum ex-
rema rursus revertuntur; ideoque extremi-
tatis unius conditio, illaque alterius cujuscun-
que, se mutuo afficere affique potest, nulla
tamen transflata materia, nulla inter nervos
decussatione nexuque, e necessario obtinen-
tibus. Inter alios hujusmodi haud improba-
bile videtur, singularem esse inter ventricu-
lum pedesque consensum; cum enim hi quo-
dammodo afficiuntur, stomachus tubusque
intestinalis exinde patiuntur. Compluribus
cognitum est, pedes frigidos et in ventriculo
et intestinis creare dolores, qui, pedibus simul
ac calor revocetur, citissime fugiunt. Porro,
ventriculi affectus morbos, cum pedum frigi-
ditate neutiquam ex frigore externo, vel ex
quavis sanguinis circuitus mutatione sen-
sibus obvia, proveniente, saepe conjunguntur.
Pedum haec conditio praegreditur, comitatur,
quosdamque stomachi flatus insequitur, vel ex
spasmo vel ex flatu procedentes.

Hoc in genere lustrato commercio, quod
ab alia parte remota motus transmittit, ar-
thritis, tametsi extremorum morbus videatur,
nihil-

nihilominus ex affectionibus systematis valde disjunctis facile pendere queat.

2. ALTERA modo propositio jam adjicienda venit, antequam generales collegerimus consecutiones.

“ IN omnibus casibus, quibus actio cerebri obtinet, modum vel mechanismum, quo cauae diversae diversos produnt effectus, nequam intelligimus; percipimus utcunque, nexus inter causas diversas et effectus motus videlicet provenientes, a Creatore nostro stabilitum esse, pro oeconomiae animalis propositis, praecipue vero, ut sistema certa conditione et pro certo temporis spatio sustentetur, et quid sit nocivum avertatur. Hanc constitutionem Naturam vocamus, vel vires naturae conservatrices medicatricesque apud medicos tam celebratas.

PROPTER hanc constitutionem evenit, quod non solum impulsus aliaeque cauae quas motus ciere posse facile existimamus, verum etiam multae cauae quae motum minuere videntur, eum utcunque adaugent, vel in verbis Gaubianis, “ naturam urgent, ut motibus duplicatis, non sine summa anxietate, contra insurgat; ita pathemata variae quae primo

insultu motum minuunt, propensitates variae ex debilitate actionisque difficultate exorientes, impressionum confuetarum absentia, evacuationes, aliaeque relaxationis causae, frigus, viresque narcoticae, motibus ansam praebent insignibus *.”

AD nostrum institutum observemus, hanc cerebri actionem, vel, si venia sit verbo, reactionem ab atonia in toto vel parte systematis orta, subinde excitare, nos docet experientia. Nec aliter se habet res in arthritide, ut statim elucescat; sed prius jam dictum quam brevissime repetamus.

ARTHRITIS materiem morbidam minime pro causa sua agnoscit. Est morbus universalis, temperamentique peculiaris. G. N. quod solummodo admittit originemque praebet motibus et affectionibus ab alia ad aliam partem, interposito cerebro, transferendis, potissimum ac primario anget arthritis; ideoque quodammodo morbus nervosus ducendus est. Actio cerebri quavisunque in nervorum extremis mutatione exoritur. Impraeventioniarum autumare volumus, debilitatis vel atoniae statum, causam esse reactionis cerebri. Nexus atoniam

* Cullen Inst. Physiolog.

atoniam inter et reactionem nullo pacto ex-
antlare conabor; et quare natura molestiae et
anxietatis sensu et spasmo ad hanc reactionem
excitandam uteretur, ratio nos omnino fugit;
quod autem pro comperto, nemini certe, in
febribus parum attente versato, ignotum est.

AD propositionem generalem tandem re-
vertimur, nempe, quod arthritis, atonia vel
debilitate systemati inherente, in ventriculo
extremisque inferioribus speciatim ingrafe-
cente, constat. Hinc ex oeconomiae animalis
legibus nascitur actio vel reactio, inflamma-
torium articulorum affectum accendens, quem
ut redintegrentur, systematis tonus vigorque
excitat natura; juxta Sydenhamum, "hoc in
"morbo dolor amarissimum est naturae phar-
"macum;" nullatenus vero morbus, nisi adeo
aestuat inflamatio, ut natura viribus suis
vinceretur. Restat solummodo, ut facta ipsa
hunc arthritidis statum existere common-
strent. Liquet,

1. Ex causis arthritidis occasionalibus.

2. Ex symptomatis arthriticis.

1. ARTHRITIS causis debilitatis exoritur,
quod quidem, vita deflorescente, qua vigor
systematis, vasorumque extreborum, infir-
matur

matur, praesertim appareat. Est vitae sedentariae et ignavae soboles. Ad adminiculum systematis vigoris justum conservandum, exercitium necessarium esse notum est. Quandocunque igitur affectus ullus morbidus talem exercitii defectum infecutus fuerit, aequum est, ut incusat debilitas. Necessestas vero exercitii plus minus ex consuetudine pendet; unde eos praecipue, qui a labore repente cessant, invitat arthritis. Venus nimium exulta, victus opiparus stimulans*, vigiliae intempestive protractae, animus cuidam rei nimis defixus, evacuationes ubiores, pariter evadunt debilitatis causae ac arthritidis.

2. ARTHRITIS cum univerfae debilitatis symptomatis invadit. Perspiratio enim, quippe cum linteae minus squaloris, tempore dato, contrahunt, corporisque superficies aret frigescitque, supprimitur. Debilitas ad ipsum senforium pervenit. Studia molesta ac perturbata deveniunt; exinde studiosi nonnulli arthritidem jam appropinquare callent. Functiones ventriculi debilitantur; hinc anorexia, cruditas, nausea, vomitus, aciditas, flatulenta,

* Omnia enim stimulantia saepius repitita tonum destruunt atoniamque adducunt.

tia *, &c. Actio extremorum vasorum inferiorum diminuta praegreditur. Sudor pedum cessat. Formicatio, subsultus tendinum, spasmi horum actionem infirmam, aequa ac systematis quo connectuntur, indicant. Iis adjungamus tumores venarum varicosos. Porro, causam proximam luculenter exhibent arthritidis anomiae vel atonicae phaenomena; hic symptomata debilitatis omnia graffantur, et denique tam magna est debilitas, ut sensorii energiam, per inflammationem usitate seipsum manifestantem, prorsus obruat, mortemque inducat.

ID CIRCO, arthritidem debilitate vel atonia constare, omnino probatur.

QUOD ad secundum stadium attinet: Hic affectus inflammatorius est procul dubio. Eodem, quo aliae inflammations, anni tempore, Vere nempe, se plerumque manifestat; easdemque quas alii morbi inflammatorii, partes membranaceas, corripit. Intra articulatum capsulas, quod, dissectionibus observationibusque rite captis, fatis compertum est, sedem haud habet; membranam autem cuti subjacentem obsidet inflamatio. Pars saepe rubescit,

* Vid. Diflect, Inaug. de Anorexia, Edin. 1771.

rubescit, tumescit. Sanguis, ac in aliis inflammationibus missus, et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendit. Denique, rheumatismo quam proxime respondet, nisi quod ab illo in causis et cum systemate conexu discrepat. Quapropter vel frequentes ob impetus effectus diversos edere queat; hinc tophis occasionem praebet, qui rheumatismum haud sequuntur.

NON aliam esse arthritidis primariam affectionem, neque aliam morbi medendi methodum natura usurpatam, cuivis, quam maxime arthritis febrisque generalis inter se convenient, lustranti, magis adhuc constabit. Sic est arthritis Sydenhami regularis, vel, ut nobis placet, inflammatoria. Sed de arthrite anomala vel, causae ratione habita, atonica, mentionem faciunt auctores; restat igitur, ut uno verbo, quid haec sibi vult, enunciemus. Nihil fane est, nisi quod gravius inciderit malum. Reactio systematis in partem vel in totum fere deficit; hinc recrudescit arthritis minus valida. Paroxysmi mitiores, crebriores, et longiores fiunt. Dum autem sistema adhuc viget, ut alicubi reactionem excitare queat, inflammatio artus fere omnes infestat. Ne
qui-

quidem abdominis, thoracis, capitis viscera hac immunia evadunt. Dolores tandem omnino vagi reperiuntur ; hinc in capite confusio, tinnitus aurium, languor ; in thorace, anxietas, respiratio difficilis, asthma ; in abdomine, flatulentia, borborygmi, alvus vel laxa vel constricta ; in ventriculo, cruditas, anorexia, nausea, vomitus &c. ; denique reactio in totum fere deficere incipit : Hinc paralyfis, apoplexia, syncope, tenebris aegrum tradunt.

Huic nostri argumenti parti finem imponamus, observando :

1. QUOD arthritis stricte dicta, inflammatione ut morbi medela seposita, morbus est chronicus perdurans.

2. QUOD causae hujus occasioneis, ut fiat paroxysmus, in quandam systematis conditionem, atonicam nempe, et ad reactionem quae atoniā reficiat praebendam aptatam, agant, necesse est.

3. QUOD inflammatio pro tempore atoniā fugat, reversuram utcunque, nisi haud praeveniatur. Cujusmodi esse debere atoniā, ut nullus aliis morbus efficiatur, me plane ignorari confiteor. Timeo denique quorum evadat tota haec explicatio ; eruditorum
examini

examini ut approbetur vel damnetur modello. te jam relinquo, haud omnino nescius quam maxime esse humanum errare; sed, si ad praxin, quae adhuc tam vaga et mobilis fuit, stabiliendam, ecquid conferat, scopum profusus attingit.

II. OBJECTIONES unam vel alteram praecipuas removere; et,

1. PHAENOMENON, quod secum discrepare videatur, primum exponendum est. Unde fit ut homines, habitum robustum ac plethoricum exercentes, passione arthritica, utpote quae ex debilitate oriri censetur, plerumque tententur?

Hoc profecto difficile est explicatu, etiam si facta quam plurima idem comprobatum eunt; rebus utcunque ita se habentibus, ex quadam oeconomiae nostrae lege, sive nobis innotescat sive non, pendeat oportet. Sed, ut clarius illucescat res,

1. IMPRIMIS, corpora validiora, ob illum ipsum vigorem quo praedita sunt, atoniae potissimum opportuna esse, contendeo. Quod humano in systemate, energiae nervosae ad-
auctae,

auctae, ejusdemque minutae status aequa et alternatim alius alium excipit, in diluculo apparet, dum ille reciproce huic proportionatus certissime fieri solet. Quo magis enim quisquam exercitio die usus est, eo altius nocte obdormit. Praeterea, unusquisque, qui vini plus quam sat est adbibit, postea debilitate supra modum adaucta opprimitur. Ex hac itaque analogia concludere possumus, robustissimos, dum vigore juvenili florent, plus justo incitari, et e necessario, senectute ineunte, eorundem vires magis imminui. E contrario, plane apparet, omnes qui id genus vitae minime experti sunt, opposito ne vix quidem postea vexari. Si quis igitur diaeta tenui victitans arthriticos dolores, etiam si iisdem alioquin proclivis sit, evitaret, modo supra dicto solum exponendum esse, censemus. Is enim debilitate caret, quia vigore haud unquam nimio pollebat. Porro, si arthritis, sepe manifestorem reddens, proprio regimine per plures annos vinceretur, et posthac, si nimis genio indulgeretur, diathesis enim generalis difficulter omnino amoveri potest, morbus iste dirus forsitan regredietur, et tum tela sua faevius exercet.

2. TALIA systemata quorum vigor ab tensione quam exquisita ut plurimum deducatur, vitiis omnino minimis, in aequipondio positum enim facile movetur, afficiuntur. Exinde, quandocunque causae debilitantes corporis tensionem confringunt, eadem ut vires suas in tales robustos praecipue agerent necesse fit. Ad quod comprobandum, plethora seu plenitudo, quae in plerisque arthritide colluctantibus obtinere videtur, multum adjuvat; nam sub plenitudine comprehenditur fere morbus, quod fluidorum copia major sit quam vasa continentia ei facile resistere queant. Talis igitur vigor arthriticorum tensioni ab plenitudine provenienti debetur; omnes itaque causae debilitatis tales validiores commodissime divexant.

EXPOSITIO haec symbolam suam conferre potest ad difficultatem enodandam; nihilominus ad facta in primis configiendum est, quae antea stabilita esse commonstravimus.

2. TEMPUS nobis restat ad alteram difficultatem, cui obnoxia est nostra doctrina, adnotandam. Unde fit, ut affectus inflammatorius speciatim versus articulos extremos dirigatur? Utcunque, si, pro finali causa, atoniam

niam nempe vincere, inflammatione uteretur natura, nos non multum vexat, cur ad articulos hosce speciatim dirigatur, exponere. Causis etenim atoniae generalibus re vera existentibus, effectus eorundem in vasis ante omnia extremis dilucescet, quippe quae a corde et capite, actionis scaturiginibus, maxime longinqua sunt. Ad haec, vasa articulorum apud minima, et causis debilitatis externis, sicut frigori, calceorum pressioni, exercitio frequentiori cessanti, exponuntur.

NONNE arthritidem inter et nephritidem nexus vel similitudo est? Se mutuo saepe excipiunt.

III. AD tertiam nunc propositi partem pervenimus, videlicet, indicationes prophylacticas, ex causa proxima antea tradita emergentes, proferre. In duobus statibus praxis haec exercetur.

1. PRIUSQUAM adparuerit ut folet arthritis, et adhuc tantum in temperamento latet.

2. CUM, diathesi arthritica existente, morbus plus minus inflammatiorum seipsum jam manifestaverit. Status prior prophylaxi stricte dictae occasionem praebet; quandoquidem autem res magnopere in dubio haereat, num

ocyus

oculus seriusve arthritide corripetur homo, utque plerique regimen severum aversantur, donec ejus necessitatis experientia illos certiores fecerit; praxis ad statum secundum, quae, quatenus paroxysmorum redditum ante occupare volumus, procul dubio ad prophylaxin spectat.

ANTEQUAM vero indicationes exantlamus, quaestionem multum disceptatam quam brevissime perpendere, necesse erit; An exterminari potest e radice arthritis? In primis in proposito est observare, quod, auxiliis stricte dictis medicamentis, eam sanari posse omnino pro improbabili est. Tota enim doctrina nostra, eam temperamenti morbum, ideoque quam plurimum ex uniuscujusque partis constitutione pendentem, exhibit. Praecipue si a parentibus originem duxerit, admodum dubitandum est, hominem per ullam tractationem ex novo formari posse. Saltem certe haud pollicentur multum medicamenta. Forte ne unum quidem inventum fuit exemplum, quod temperamentum congenitale per illa mutatum ostendit; nec sperandum est ea unquam fibras staminales penitus afficere posse.

posse. Quid igitur? Famosa omnium empyricorum arcana nobilitata ex mundo prorsus arcerem; quoniam etiam effectus eorum ex nimium magna vi funestorum exemplorum exhorrescunt. E contrario, si nequeat sanari, veruntamen temperamentum adeo affici posse, ut effectus alioquin adparituri praeveniantur, testis est experientia. Porro, si diathesis arthritica ne quidem semper a parentibus accipiatur, ut re vera videtur, nihil est sane, cur dubitemus, quin per vitae rationem omnino contrariam, tempore adhibitam, constitutio- ni prave vivendo excitatae vel occurrere, vel etiam eam mutare, possimus.

NUNC ad prophylaxin tandem perventum est. Venienti occurrere atoniae indicationem generalem suppeditat, quae in duas partes se resolvit.

I. Ut ad praedispitionem spectat; ab hinc duae proveniunt indicationes.

I. EAM systematis conditionem plethoricam,
quac

quae praecipue videtur atoniae ansam præbere, averruncare; quod perficitur,

a. Abstinentia.

a. In cibo.

b. In condimentis.

c. In potu.

b. Conditionibus somni ac vigiliae rite obseruandis.

2. ATONIAE obviam ire, tonum systematis in genere sustentando, speciatimque vasorum ad articulos.

CAVENDUM autem est, ne auxilia hic usurpanda, plenitudinem creando, indicationi priori adversarentur; nam systematis tono adminiculo est, perfaepe, plena diaeta; haec autem excipienda, ut quoque omnia quae plenitudini favent. Huic respondent,

a. Exercitatio.

a. Generalis.

b. Topica.

b. Frictio.

a. Generalis.

b. Topica.

c. Balneum frigidum.

II. Ut ad causas occasio[n]ales spectat.

3. Ei occurrere atoniae causis ejus occa-
sionalibus fugiendis.

a. Abstinentia: Qua nihil magis apud quo-
dam collaudatum, apud reliquos damna-
tum est. Aliquid igitur de ea statuendum.
Difficile fit ad amissim semper discernere;
multumque judicii acumen haud raro requi-
ritur. Ut ut propositionem generalem pro-
feramus; si, ineunte vita, praecipue antequam
status inflammatorius adparuerit, inque tem-
peramento adhuc latet morbus, nihil certe
periculi imminet. Immo autem, post morbus
plus minus inflammatorium seipsum jam mon-
straverit, res admodum in vado est.

E contra, cum arthritis in constitutione
parum robusta hereditaria occurritur, prae se-
ferens symptomata vix inflammatoria, atoni-
cisque commista, atque potissimum si aeger
sit aetate proiectiore, si ad quinquagesimum
nempe annum accefferit, victus deinde tenuis
nequaquam discriminis expers est. Etiam-
que annotandum est, vitae genus, cui affue-
rit arthriticus; an opipare aut parce victita-
bat olim; restantque alia nimis longa ut enu-
merentur. Prophylaxis autem, de qua verba
facimus,

facimus, in genere ad victum tenuem referenda est. Modus etiam diaetae talis exhibendae, quippe ex eo multum, ni fallor, innititur, ne in silentio quidem praetereundus est. Plenissimum inter et tenuissimum victum, tot sunt intermedii, quot volumus, gradus. Diaeta levissima herbis radicibusque succulentis, oleribus fructibusque recentibus, constat. Secunda lac et farinacea, quae quodammodo natura conjunguntur, complectitur. Tertia et lautissima fere omnino victum animalem continet. His igitur victibus primariis, varie inter se junctis, diaetam qualicunque nutrimenti gradu praeditam, haberi posse liquet. Tenuissimam quae ad arthritidem occurrentem forsan nunquam requiritur, ne collabescat sistema, multum comitatur periculi aliquando. Media ut obviam eamus isti statui pletherico perniciose omnino sufficit. Victorius animalis maxima pro parte arthriticis nocet.

PAULIS PER de condimentis loquendum est. Acida plerumque arthriticis obsunt, magis adhuc acescentia. Quoad aromatica, res non tam perspicua est. Warnerus piperitidem Caijanam commendat. Nonne omnia stimulantia,

tia, ideoque aromatica frequentius repetita, tonum stomachi diruant, atoniamque adducant? Utcunque apud condimenta quaedam præferenda sunt: Sinapi, raphanus, caepe, brevitantum vim stimulantem exferunt, secretiones adaugent, et aromaticis a Zona Torrida petitis tutiora evadunt.

PROXIME de arthriticorum potu, qui aquam liquoresque fermentatos complectitur, in ordine dicendum est. Hic eadem ad quoad victimum extat quaestio; quoisque, vino repudiato, aqua arthritidi profit? Et ita, quod ex vitae ratione praegressa, vigore, aetate, &c. magnopere pendet, respondere velim. Porro, si modo parce minime ad ebrietatem affumatur vinum, praesertim si a vinis acescentibus arcen- tur arthritici, haud aeque forsitan pernicio- sum est ac victus animalis. Vinum idcirco, vernacula lingua *Madeira* dictum, caeteraque alkohol continentia, illis tartaro plenis anteponenda sunt; idcirco etiam liquores spiritu- osi nuncupati, cum aqua diluti, vinis plerisque palmam praeripiunt. Tutissimum erit, ut puto, cerevisias fugere. *Porter* forte, quoniam non adeo in promptu est acescere, quippe

F

quod

quod melius fermentatur, praebetque amarum
stomacho gratum, minus obfit.

SUMMATIM concludo, omnes mutationes
repentinas, ut ex luctuosis exemplis patet,
haud sine periculo esse. Porro, si arthritidi
obviam eundi gratia ad victum tenuem se
ipsum contulerit, inque eo per aliquot tempus
perstiterit quivis, ad plenam diaetam redditus
periculo stipatur. Qui de lacte conscripse-
runt, errori nos exposuerunt insigni. Diae-
tam lacteam in annum excultam, ad arthriti-
dem debellandam sufficere, neutiquam illis
concedamus. Longe aliter evenit, et jam
majori obnoxius est arthriticus discrimini,
quam si tali nunquam usus fuerit.

b. In somni tractatione judicio opus est.
Somnum eousque necessarium esse, ut sistema
refocilletur, opinantur medici. Tempus ve-
runtamen quoddam esse praestitutum, caufa
obdormiendi, nobis placet. Nocte accedente,
obdormiscere proclives sumus, et huic propen-
sitati naturali indulgere, nihil equidem video
quod vetat. Boerhaavius plus somni praeci-
pit quam Sydenhamus, qui lectum diluculo
linqui suadet. Mensque nostra cum Syden-
hamo convenit; quoniam somnus diuturnior
statum

statum plethoricum, quem maxime est in votis evitare, fovet.

FONTICULOS ad crura appositos prodeesse, Gregorius noster illustriss. in praxi expertus, novit.

2. NUNC ad secundam indicationem pervenimus, atoniae videlicet obviam ire, tonum systematis in genere sustentando, speciatimque vasorum ad articulos.

a. HIC exercitatio locum tenet principem, maximeque labor. Nautae enim, aliorum instar hominum labori victuique parco deditorum, vitam arthritidis expertem degunt; eorum vero praefectus, tametsi eidem vectationi exponuntur, morbo nihilominus discruciantur saepenumero. Idem ferme de gestatione in curribus, observare licet. Equitatio arthriticis plus boni afferre videtur, quando quidem cum ea labor conjungitur; haud autem placet; hinc enim artus inferiores frigori maxime obnoxii sunt, ipsorumque vasa nervique comprimuntur. Experientia docet, modicam stabilemque corporis exercitationem, per ambulationem laboremv, ad arthritidem praeveniendam praecipue valere. Parum ad rem est exercitium vehemens instabileque;

immo

immo noceat; quia incitationem corporis violentiorem sequitur consentanea debilitas. Laboriosi seipso violenter haud exercent, cum hoc praevertit consuetudo. Porro, exercitationem absque victu parco obesse, extant documenta. Denique, exercitatione semel incepta, semper pergendum est, alioquin violentior nonnunquam redibit arthritis.

Quod ad exercitium topicum attinet, ut ab atonia conserventur vasa articulorum, id unicuique intelligitur quomodo diversimode fiat. FRICTUS, de quo nunc verbum dicemus, hic praeципue valet.

b. FRICTUS. Quod in cribri cutanei, vasorum actione adaugenda, ideoque tam statu plethorico quam systematis atonia prohibendis, confert frictus, facile ad fidem est. Magnis laudibus antiquiores medici extulerunt frictum. Perraro autem nunc rite administratur; nullatenus sat temporis ei impenditur. Parum enim refert aequa frictus violentior, inconstans, ac modicus perdurans, per quem paroxysmos arthriticos, jamjam invasuros, repulos fuisse, compertum est.

FRICTUS ad articulos ipsos adhibitus atoniā illorum differt; et manus pedesque in

justo

justo calore conservati; quae autem res prorsus est relativa.

c. QUOD balneum frigidum systema corroborat, nemo inficias ibit.

RESTAT nunc solummodo adjungere, quod, in arthritidem abigendo, abstinentiae et exercitii virtutem facta aequa ac ratiocinium comprobant. Abstinentia autem praesertim valere videtur, quoniam fartores aliquique hujusmodi, qui levem tantum laborem perpetiuntur, arthritide tamen vacant.

II. 3. CAUSÆ occasioñales fugiendae sunt. Hae omnes existunt causæ debilitatis, cum directæ, tum indirectæ, sicut frigus, pathemata sedantia, intemperantia, venus nimia, studium intensum, &c.

TALIA sunt auxilia generalia quibus prædometur arthritis; et si animum intendamus ad circumstantias et symptomata occasionalia, potissimum ventriculi tubique intestinalis, (quae omnia si tractarem, longe exsuperarem dissertationis limites), arcendus sit, ut spero, morbus, quem, simul ac corpori totus inhaerit, nulla ars medici radicitus evellere potuit.





